


Bernhard Barnstorff

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Bernhardus Barnstorff/ Med.  
Doct. Prof. P. & Poliater, Ad Natalem Servatoris Jesu Christi, pie devoteque  
celebrandum, Cives Academicos officii ratione sedulo hortatur**

Rostochii: Weplingius, [ca. 1691]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735977542>

Druck Freier  Zugang



1881  
Supr

PROGRAMMA  
QVO  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
BERNHARDUS

Barnstorff /

Med. Doct. Prof. P. & Poliater,

AD

NATALEM SERVATORIS  
JESU CHRISTI,

piè devotequè celebrandum,

*Cives Academicos officii ratione*

*sedulo hortatur.*



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univers. Typogr.

R. U. - Propri 1691



Nter alia hiftoriæ nativitatis Christi  
Servatoris nostri momenta, ad exci-  
tandam devotionem, alendumqve  
Christianorum hoc in primis tempore  
gaudium comparata, occurrit etiam  
illud, divinæ gloriæ buccinatorum,  
paciſqve miſeris mortalibus reddita  
nunciorum præconium: *Gloria in  
excelsis DEO, & in terra pax, hominibus  
beneplacitum.* Quo celeſtate An-  
gelico cum nihil jucundius, nihil ma-  
jeſtate & benevolentia plenius, idcirco eidem ſacris meditationi-  
bus aliquantis per immorari, volupe omnino futurum puto.  
Præceſſerat nimirum unicus, velut reliquis Imperator præfectus,  
lætiffimoq; nuncio, de gaudio omni populo futuro longè ma-  
ximo, pavore percuſos, & ad inſolitum ſubitaneumque ſplen-  
dorem, ex improviſo effuſum, ſtupentes paſtores reſecerat, &  
ecce! præſto eſt è veſtigio, cœlitum denſiſſima cohors, in ver-  
ba, jam jam indicata, uno ore magnificè erumpens. Militiam  
cœleſtem Lucas, rei ſic geſtæ teſtis indubius, multitudinem  
hancce vocat. Solet nempe fortiffimorum Spirituum horum  
miniſterio interdum uti Dominus Zebaoth, ad exercendam  
in hoſtes ſuos vindictam, refringendosque rebellium Angelo-  
rum hominumq; nefarios auſus. Hic tamen non ad iræ, judi-  
ciorumque pœnaliſum executionem, ſed gratiæ potiſ, bene-  
volentiffimiſqve erga homines affectûs conteſtationem; non ad  
inimicorum deletionem, ſed amicorum de ſalute reape pro-  
curandâ certiorationem mittuntur. Unde exercitûs ſive  
*ſerapnâs* appellatione, ex aliâ ratione hœc quidem loco veniunt,  
ſcilicet, tum propter ordinem, quo exquiſiſſimo gaudent,  
convenientiſſimoq; obeunt munia ſua; tum ob obedientiam,  
ſiquidem imperia Induperatoris ſui promptiſſe exſequuntur,  
quam expediſſimæ quæq; ad nutum Principis hominis copiæ;  
tandemque ob fortitudinem etiam & potentiam, quæ in his  
eſt cœli legionariis incomparabilem. *Quantâ verò copiâ &*  
quo

quo numero semet stiterint, quis enarrabit? Omnes omnino descendisse, inque terrâ nascentem comitatos esse Dominum suum, sicuti aulici omnes peregrè proficiscentem stipare Regem solent; adfuisse omnes Regis sui incunabulis, prout Ei in die pantocritico Judici omnes à latere futuri sunt; advolasse omnes, cœlumque habitare, Conditore in terram sponte abjecto erubuisse, & quasi Principem suum adoraturos, eidem obsequia sua delaturos, sacramenta dicturos, inq; leges ejus juraturos venisse, id quidem cogitatu jucundum, & probabile videri queat: attamen pro certâ & indubitâ venditare veritate, Scripturâ S. indefinitum numerû significante, quis sustineat? Sufficit ad majestatem nati Infantis declarandam, ingens tantorum apparitorum copia. Accinuisse verò eos verba hæc, pia credidit antiquitas, primaq; Christi Ecclesia. Apud Evangelistam quidem celebrasse solum dicuntur Deum ac dixisse: gloria in excelsis Deo, &c. Neque alibi facilè in Script. S. nisi in visione cantantes introduci, Bald. Walæus in h. l. vult: quemadmodum Ignatius Martyr quoq; in visione vidisse & audivisse Angelos Dei laudes concinentes, & idcirco hymnos à *ἰν φωνῆς*, qui alternis accinuntur, in Ecclesiâ instituisse scribitur. At enim vero non obstant hæc, quo minus hodieque ad exemplum piæ antiquitatis cantasse credamus, modulisq; suis aërem sacrâ nocte permulsiſſe Avlædos cœlestes. Cantibus testari læticiam intimaq; gaudia solent homines; quidni ergo, formâ, eloquio, habitu, aliisque gestibus humano more se gerentes, cantu quoq; nos imitarentur, lætitiæ affectum significaturi Angeli? Salomone Rege dicto, ascendit universa multitudo post eum, & populus cantantium tibiis & lætantium gaudio magno, & insonuit terra à clamore eorum, uti verba habent. Pacifico Salomone nostro in lucem edito, Angelorum ingens multitudo præsto est, novis exultans cantibus. Eleganter felici calamo Drexelius: *Quid visum ô Deus, quid auditum in aëre? Discursu triumphali completur magnum hoc inane, aura renident serenâ facie, audiuntur cantus ultra cuncta vocum oblectamina. Pures canoras aviculas prolestante verno tempore concentus juvenes adsonare.*

) ( 2

Credas

*Credas arbores Austrinis laxatas fratribus, germine foliorum vestiri, Clementi brachiorum motu, dulces strepitus obsibilare. Censeas magno procellarum sedato fragore, ac turbido fluctuum tumore profecto, mare quietas alluvies temperare, ridere, gestire omnia. Sed ad ipsum progredimur celestis sacrum. Gloriam altissimi extollunt modulatores caelestes: hoc primum palmariumque praconii membrum est. Si dispiciamus, qua occasione, quoque argumento hac quidem vice, hoc loco peculiariter, ad hoc agendum quod alias incessanter agunt inducti fuerint: Nativitas Domini est, in spem certissimae salutis, humanae genti paranda nati. Et hic omnino gloriose se explicat, immensae misericordiae ac bonitatis Divinae amplissimum munus. Misertus nimirum est Pater misericordiae & fons bonitatis, hominum praevicatorum, qui beneficiorum longè maximorum merito ad obedientiam perpetuam obligati, praerogativam imaginis suae, praereliquis creatis universis insignes, viribusque contra Sathanæ fraudes & assaultus abunde instructi, nihilominus neglecto spretoque jussu suo, spontaneam defectionem omni felicitate semet exuerant. Misertus est hominum inimicorum, ad imitationem hostis seductoris, immortales erga Deum iras foventis, inimicitiasque exercentis, obstinatorum, praeractam malitiam obnitentium, quin rebelliconatu sui oppugnantorum. Misertus est omnium, nullo excepto, & quidem eò usque ut Filium suum unigenitum daret, ad solvendo reatu aeternum incubituro miseros. Quo quid gloriosius, quid amore tanto excellentius! Quod si injurias condonare, & praevicationum etiam atrocissimarum obliterare memoriam, heroicum reputatur facinus, hic sane heroica in eminentissimo gradu, i. e. divina elucet misericordia. Non certe hominum meritis aut dignitati aliquid tributum fuit, nec tribui potuit; sed potius immensae bonitatis suae divitias hoc pacto ostendere mundo Deus voluit, ad laudem gloriosae gratiae suae, uti loquitur Apostolus, Eph. 1. Neque adeo miramur, tantum spiritus fervorem, animique contentionem S. Johannis, divini favoris hujus magnalia decantare laborantis, rei stupendae admirationem*  
præ

præ se ferentibus verbis hæc: *Ita dilexit mundum Deus* &c.  
Ad quæ S. Ambrosius, cit. Corn. à Lap. in h. l. *Considera*, inquit  
*affectedum patrum, quasi morituri Filii suscipit periculum, quasi*  
*orbitati hausit dolorem, nec tibi periret fructus redemptionis. Tan-*  
*tum fuit Domino studium tue salutis, ut propemodum de suo peri-*  
*clitaretur, dum te lucraretur.* Scribit alicubi Annæus Seneca  
ad Lucilium suum his verbis: *Cogita deos cum propitiis essent,*  
*fictiles fuisse:* Rectius nos: cogita Deum cum summè propi-  
tius esset, hominem factum esse, aut Filium suum hominẽ  
fieri voluisse. Ad hæc non misericordiæ solùm, sed justitiæ  
quoque divinæ deprædicandæ rationem habuisse in cantico  
hocce suo Angelos, haut immerito credimus. quippe quæ in  
eo celebranda meritò, quod sine redemptione & satisfactione  
admittere homines in gratiam noluerit. Meræ gratiæ opus  
divinæ est, succurrendi miseris mortalibus, sine ullo eorum  
merito, nec cum Sathanâ eos æternùm deserendi, consili-  
um; soli gratiæ in acceptis ferenda, liberatoris, secundæ Divini-  
tatis Personæ constitutio, ab eâque sponte ad id exsequendum  
facta oblatio: ideo tamen justitiæ simul suus manere locus,  
sua vis debuit. Scilicet, temperamentum utriusque exquisi-  
tissimum conspiciere hic licet. Etenim ut impune violentur  
mandata Dei, id sanctitas Ei naturalis ferre ne utiqvam potest.  
Abominatur in hominibus, fontis sine præviâ satisfactione di-  
missionem, qui ergo ipse suò id exemplo probaret, quod de-  
testatur in aliis. Hinc igitur per justitiam suam, absq; plenariâ  
satisfactione peccatores in gratiam non recipit; satisfactionem  
autem ab alio præstitam, velut nostram, misericordiâ motus ac-  
cipit. Ita suum cuiq; pondus manet, æqua utrobique lanx de-  
prehenditur. Præterea sapientiæ etiam ac potentæ, juxta ac  
veritatis elogium, verbis hæc Angelicis comprehendi dubitan-  
dum non est. Sapientissimo enim consilio, creato cui libet  
intellectui imperscrutabili, redemptionis opus constituisse in a-  
prico est: quæ enim quæso mens, seu Angelica, seu humana,  
detali cogitare unquam reparationis nostræ medio vel tentas-  
set, nedum id suo pte scrutinio invenisset? Deum, nempe hu-  
manam

manâ carne vestiendum, inque eâ patiendo & moriendo negotium omne confecturum esse. Unde Petrus Apostolus, insigni cupiditate ductos, à primo sine dubio factæ promissionis momento Angelos esse, hoc introspicere mysterium testatur. Veritatem divinam, S. Maria mater Domini, speciatim in cantico suo magnificat, quando in opere incarnationis, se Matre divinitus destinatâ jamjam peragendo, omnium promissionum, à condito mundo de restauratione humani generis Patribus factarum complementum videt. Quin ergo hi quoque ministri divini id agnoverint, gloriamque sic veritatis infallibilis, Deo attribuerint, nemo iverit inficias. Sic ergo omnis Deo gloria tribuitur, pacem verò annunciatam terra exosculetur, de Messîâ pacis Principe lætata, quem dudum præcognoverat, suisque vaticiniis celebraverat Esaias Propheta, utpote in quo pacis fœdus erat pangendum, ratumque habendum. Cujus rationem ex beneplacito divino arcessit Apostolus, ad Coloss. 1. ubi, *placuisse Patri, inquit, ut pace per sanguinem crucis factâ, per Eum reconciliaret omnia sibi, cum qua in terrâ, cum qua in cœlis.* Eam ergo restitutam, nunc in terram missam esse, nato eo, quipax nostra est, clamant Angeli, gratiisque DEO sospitatori actis, eandem hominibus, futuræ in vitâ æternâ gloriæ sociis animitus gratulantur. Non autem terrenam eos intimare orbis tranquillitatem putandum est, sed spiritualem magis, quæ est inter Deum & homines pacem. In hâc placidissimè conscientia nostra acquiescit, hæc inter maximas hujus temporis felicitates, ceu optimum miseræ vitæ solatium, primo loco jure meritoque ponenda, utpote quâ fit, ne cordis condemnationibus terreamur, temptationibusque succumbamus. Neque hoc solum, sed æquo etiam animo, quod omnes optamus, ex hâc abire vitâ datur illis, qui hâc quiete fruuntur. Refert Petrus Cluniacensis de Matthæo Albanensi Episcopo, ipsâ sacratissimâ Christi nascentis nocte, sub aurora hunc finivisse vitam, ita tamen ut paulo ante æger in fatali lectulo sese attollens, quo potuit gestu & voce in cœlestem lætitiâ eruperit his verbis: *Christus natus est nobis, gloria in in excelsis*  
**DEO**


DEO, & in terrâ pax hominibus. Quo pacis solamine animam  
jamjam corpus migraturam mirificè refecit. Et quem latec  
piissimi Simeonis exemplum, viso Servatore, in pace disce-  
dere adeo desiderantis. Utinam eâdem devotione & nos in-  
calescamus eo tempore, quo frigore lethali membra solventur!  
sic pariter in pace, à corporis, peccati, curarumqve vineulis  
dimittemur. Connexa vero etiam huic fœderi, pax Ange-  
los inter & homines est, de quâ Cyrillus, Pax, inquit, per Chri-  
stum facta, qui nos DEO reconciliavit, duosque populos in unum  
pacificavit, scilicet & terrenos in unum gregem composuit; ut  
& ea, quæ inter homines merito viger, qui magno suo bono  
DEO reconciliati, mutuo amore ad beneplacitum illius coa-  
lescere debent. Neque porro à vero aberraverimus, si pacis  
nomine, more salutandi Hebræis familiari, omnigenam salu-  
tem, prosperitatemqve apprecatos esse Angelos dixerimus. Hu-  
juscemodi nativitatis Christi fructibus gaudere fideles animæ  
possunt! quanta hæc felicitas, quanta delicia! Si hæc non  
placuerint hominibus, gaudiiqve affectum ciere valuerint, quid  
tandem movere animum poterit? Unde non frustratertium  
in præconio Angelico additur, nempe: *& hominibus benepla-*  
*citum*. Nimirum *evdokia*, non *evdokia*, aut *evdokia* ex con-  
sensu Græcorum codicum legendum, benè notat Grotius in h. l.  
cit. Calov. ut ita complacentiam in hominibus, quâ in pacifi-  
catione illâ in Christo factâ svaviter acquiescunt, significet.  
Sic ergo Cives optimi, præeuntem habemus sanctorum Angelo-  
rum chorum, nos exemplo suo, ad laudes Deo, puro corde, ple-  
noq; ore cantandas incitantem; habemus eundem admonen-  
tem, ad pacis nobis redditæ estimanda bona. Imitemur ergo  
illos in hac vitâ, quorum posteam assimilabimur naturæ, ad-  
scribemur societati, incessabili voce, Dei gloriam in cœlis de præ-  
dicaturi. Illi nostri causâ gaudent, tanto cum tripudio natum  
nobis Servatorem pastoribus nunciantes; loco nostro plausus  
tollunt, salutis hujus aut participes, neq; enim restauratione  
nunquam lapsi indigent. Nostrum ergo omnino fuerit, Deo  
sospitatori, hoc cum primis tempore, gratâ mente, promptâqve  
linguâ laudes dicere. *Laudent cum condignè omnes Angeli;*  
*ejus*



ejus (inquit Augustin. Serm. 16. de Nativ.) quorum cibus æternus  
est, qui verbum Dei est, cujus vitâ vivunt, cujus æternitate semper  
vivunt, cujus bonitate semper beatè vivunt. Nos autem plebs ejus  
& oves pascuæ ejus, pro modulo infirmitatis nostræ, pacem per bonam  
voluntatem ejus adepti laudamus. Laudent illi competenter, lau-  
demus & nos obedienter. Servare verò pacem etiam invicem  
studebimus omnes, quâ sine, gloriæ Numinis, humillimo  
obsequio litare non valebimus. Ad pacem nos DEUS voca-  
vit, totiesq; eandem servandam severè injunxit. Getæ, aliæque  
gentes, si Theopompo credimus, cum legationes obeunt, &  
pacem vel impetrare, vel impetratam stabilire cupiunt, citha-  
ras pulsant. Credunt enim Musicam optatæ pacis blandissi-  
mam conciliatricem. Cœlo demisit legatos suos Deus, oda-  
ria prompserunt in cœlo cani sveta, ô, patulas his præbeamus  
aures, ut concordiæ instilletur amor. Cessent certamina, fa-  
cessant turbæ, exulent tumultus, conticescant petalantes lin-  
guæ, quiescant mucrones. Non concordiam habebit cum  
Christo, qui discors esse voluerit cum Christiano. Solet ho-  
stis ex orco Sathanas interrumpere tantorum præprimis Fe-  
storum gaudia, impellendo malèferiatos ad committenda  
indigna Christiano facinora. Obnitendum huic datâ opera,  
& studio imprimis concordiæ, quam rumpere & omnia litibus  
ac tumultibus implere, exacerbatis erga invicem & in furorem  
quasi actis hominum animis, ipse primus discordiarum autor  
omni molimine tentat. Ne igitur dilectissimi Cives com-  
mittatis, ut sui compos voti fiat infernalis hostis, qui DEUM  
peccatis lædi, Angelosque bonos contristari, hoc potissimum  
tempore tantopere gaudet. Sit gloria in excelsis DEO, & in  
terrâ, in hac quoque Academiâ & Urbe nostrâ pax,  
hominibus beneplacitum.

15(6)30

DEO, & in terrâ pax hominibus. Quo pa-  
 jamjam corpus migraturam mirificè re-  
 piissimi Simeonis exemplum, viso Serv-  
 dere adeo desiderantis. Utinam eadem  
 caleamus eo tempore, quo frigore lethi-  
 fic pariter in pace, à corporis, peccati,  
 dimittemur. Connexa vero etiam huius-  
 mos inter & homines est, de quâ Cyrillus,  
 sum facta, qui nos DEO reconciliavit, dum  
 pacificavit, catholicos & terrenos in unum g-  
 & ea, quæ inter homines merito viget,  
 DEO reconciliati, mutuo amore ad bene-  
 lescere debent. Neque porro à vero abe-  
 nomine, more salutandi Hebræis familia-  
 tem, prosperitatemque apprecatos esse An-  
 juscemodi nativitatibus Christi fructibus gau-  
 possunt! quanta hæc felicitas, quanta o-  
 placuerint hominibus, gaudiique affectum  
 tandem movere animum poterit? Unde  
 in præconio Angelico additur, nempe:  
 ritum. Nimirum *evdonia*, non *evdonia*  
 sensu Græcorum codicum legendum, bene-  
 dit. Galov. ut ita complacentiam in homini-  
 catione illâ in Christo factâ suaviter acqui-  
 Sic ergo Cives optimi, præeuntem habemus  
 rum chorum, nos exemplo suo, ad laudes I-  
 noq; ore cantandas incitantem; habemus  
 tem, ad pacis nobis redditæ æstimanda boni-  
 illos in hac vitâ, quorum posteam assimilab-  
 scribemur societati, incessabili voce, Dei glori-  
 dicaturi. Illi nostrî causâ gaudent, tanto  
 nobis Servatorem pastoribus nunciantes; I-  
 tollunt, salutis hujus haut participes, neq;  
 nunquam lapsi indigent. Nostrum ergo  
 sospitatori, hoc cum primis tempore, gratâ  
 linguâ laudes dicere. *Laudetur cum sona*



animam  
 vem latef  
 ce disce  
 nos in-  
 olventur!  
 vineulis  
 x Ange-  
 per Chri-  
 in unum  
 vit; ut  
 no bono  
 ius coa-  
 si pacis  
 am salu-  
 nus. Hu-  
 animæ  
 ac non  
 tent, quid  
 tertium  
 benepla-  
 ex cons-  
 is in h. l.  
 pacifi-  
 nificet.  
 ngelo-  
 de, ple-  
 nonen-  
 or ergo  
 , ad-  
 depræ-  
 natum  
 clausis  
 atione  
 it, Deo  
 itaque  
 Angelis;  
 ejus